

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Daniel Habichhorst Heinrich Askan Engelken

**Partis II. Illustriorum Isaiae Locorum Dissertatio Quinta De Serpente Ignito
Volante, Futuro Sionis Pastore Et Philistinorum Occisore, Ex Isai. XIV. iuxta Luth.
XV. v. 28. 29. 30.**


Rostochii: Wepplingius, 1695

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742255476>

Druck Freier  Zugang







2011.

PARTIS II.
ILLUSTRIORUM JSAIÆ LOCORUM
DISSERTATIO QVINTA
^{DE}
**SERPENTE
IGNITO
VOLANTE,
FUTURO SIONIS PASTORE**
^{ET}
PHILISTINORUM OCCISORE,
Ex JSAI. XIV. juxta Luth. XV. v. 28. 29. 30.

^{Qvam}
Auspice DEO Homine & Ven. Facult. Theol. consentiente,
PRÆSIDE

**ANDR. DANIELE
HABICH HORSTIO,**

S. Th. D. ejusdemque P. P. & Consiliario Duc. Meklenb.
Consistoriali, ut & Facultatis Theologicæ Collegiiq;

Proff. Ducalium Seniore,

Academicæ sententiarum collationi,

In Illustr. & perantiqua. Univ. Rostoch. AUDITORIO MAJORI
ad d. XXIV. Aug. A. C. M. DC. XCV. instituende, fuit

HENRICUS ASCANIUS

ANGELAE/ Rostoch. Meckl.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Acad. Typogr.

1695

The image shows the title page of an old, heavily damaged manuscript. The text is in large, faded capital letters, appearing to be in Latin or a related language. The main title 'HABICHIORSTO' is at the top, followed by 'ANCIENNE' and 'ETIE'. Below the title is a blue rectangular stamp containing the text 'Universitätsbibliothek Bielefeld'. The paper is yellowed and shows significant water damage and staining.



LOC. VI. JSAI. XIV. vel juxta
Germ. XV, 28. 29. 30.

De

*Serpente ignito volante, futuro Sionis Pastore
& Philistinorum occifore.*

Ost loca ad *Massa Babelis* spectantia, occurserunt alia notata digna in sequente *Massa*, v.
qvod vocamus *Massa Phelescheth*: Vox enim
Massa cum charactere chronologico habe-
tur versu 28. capitil XIV. cui si *objectum*
nationale *Phelescheth* ex seqv. v. 29. addatur,
titulus evadit *Massa Phelescheth* h. e. Prophe-
tia, Philistinis onus & excidiuni denuncians. Communiter
juxta Ebræum Codicem hæc Prophetia ob brevitatem,
tanquam appendix qvædam, ad caput XIV. refertur;
sed Lutherus illam à dicto jam capite separavit, ita ut pecu-
liare caput XV. huic Prophetiæ adversus Philistæam tri-
buerit, cum materiam proponat tam à præcedente *Massa*
Babel, qvam à seqv. *Massa Moah* planè distinctam. Nexus
Prophetiæ hujus, qvæ *Massa Philistinum* audit, cum *Massa*
Babel inde clarescit, qvod I'raëlitæ inter *Babylonios*, *Affyri-*
orum olim subditos, deinde vero Dominos (unde & *Massa*
Affyri particulare sub finem præcedentis XIV. capitil Jsaïæ
v. 24. 27. cum *Massa Babel* copulatur) & *Philistinos* medii,
non majores, qvam collaterales hos persecutores experiren-
tur. Siqvidem ab Oriente latus J'raëlitarum cludebat
Chaldaea, cuius metropolis *Babel*; ab occasu vero *Philistinorum*
regio, qvæ valida fuit castellis & situ ipso: ab occidente enim
Philistæam tegebatur mare mediterraneum, qvod proinde in
descriptione telluris sanctæ appellatur mare Philistæorum
Exod. 23. 31. Ad gentem v. ipsam qvod attinet, qvæ *Philistina*
audit,

M

audit, origo ejus descripta legitur Genes. X. 14. & est illa gens, qvæ primo inter populos loco ponitur, qvos manere Dominus fecit, nec turbare ipsorum possessionem voluit, ad explorandum per illas gentes Israëlem, Conf. Jud. III. i. 3. Unde & Philistini peccante populo Israele non raro Domini Israëlis fuerunt, ceu libri *Judicum*, *Samuelis*, *Regum* & *Chronicorum* testantur, qvippe in qvibus exempla clodium Philistinorum tum activarum tum passivarum consignata leguntur. Duobus verò membris hoc Massa sive caput XV. absolvitur: prius qvidem *negativam* exhibet propositionem, qva Philistæos à jubilo dehortatur Isaias, v. 28. 29. 30. posterius vero *affirmativam*, qva eosdem ad ejulatum s. planetum *adhortatur* v. 31. 32. q. d. Propheta (ut summam hujus Massa paucis comprehendamus) tantum abest ut jubilandum tibi sit, ô universitas Philistina, ut potius universum tam summis qvam imis tuis sit ejulandum. Circa prius s. *negativam* jubili, ad qvam locus pertinet, qvem dilucidatur sumus, occurrit (1) *temporis character*, qvo contra Philistinos non tantum dehortatio gaudii, sed & totum hoc Massa fuit publicatum, qvi est *mors Achasi*, Regis illius, sc. impii & infelici v. 28. (2) *dehortandi*, qvi sunt *tota Philistea*. (3) *dehortationis materia*, qvæ est *gaudium Philistinorum* in gradu superlativo v. 29. cuius inducitivum erat tum *obitus Achasi* & baculi percipientis Philistinos *confractio*, tum spes infortunii majoris Jhudæorum suæq; simul fortuna melioris ex obitu Achasi orituræ. Non enim nunc demum, anno scilicet mortis Achasi, incipiebat gaudere Philistini, siqvidem jam ante 30. & qvod excurrit annos ad funus avi eius Uſiae nuperq; ad bellicas Achasi clades, qvæ leguntur 2. Chron. 28. 18. lætati præsumuntur. Igitur summum hic notatur gaudium (4) *dehortationis causa*, qvæ est *succeſſor Achasi felicior & Philistinis nocentior futurus*, qvam Achasius

chasus fuit adeoqve similis tum basilisco tum serpenti ignito volanti, qvippe qvo non tantum metus Jhudæorum hactenus à Philistinis affictorum, sed & spes Philistinorum hactenus jubilantium erat invertenda. Et hanc rationem proponit Isaia v. 29. verbis, hac vice potissimum considerandis: כִּי מִשְׁרָשׂ נַחַשׁ וַיְצַעַד שָׁרֵף מַעֲוָתָה i. e. qvia de radice colubri egredietur basiliscus & fructus ejus serpens ignitus volans. Operæ verò pretium erit, sub uno statim conspectu ponere summa rerum capita, qvæ pro indagando Prophetæ hujus sensu, de Saraph vel serpente ignito volante, exposituri sumus. Scilicet (1) exponetur temporis, qvo vaticinium hoc de serpente ignito volante, Philistinorum peste, publicatum, convenientia, v. 28. (2) serpens ipse ignitus volans & persona per serpentem bic intellecta, ejusqve nomina, origo & comparationis ratio v. 29. (3) contraria serpentis i. personæ hujus effecta, v. 30. Qvibus tandem usus qvoqve loci subjungetur.

S. 2. Temporis character, qvo vaticinium hoc de Saraph volante, Philistinorum peste & Jhudæorum salute, publicatum, est mors Achasi. Ita enim Isaia: anno, qvo mortuus est Rex ille Achas, fuit (i. e. revelatum est à DEO Prophetæ, & à Propheta rursus publicatum) Massa hoc, qvod sc. ita incipit: ne gaudias Philistina tu tota, quod virga percutiens te sit fracta. Qværitur a. qvomodo hæc temporis ratio cum publicatione hujus Massa, de serpente volante, Philistinorum peste, conveniat. Resp. optimè: tunc enim temporis & paulò antefracta est virga percutiens Philistinos: unde gaudium Philistæ fuit exortum, ceu patet ex 2. Chron. 28. 16. Non ergo hoc Massa sub Rege Uria, Achasi Avo, Religione & armis incluto, hoc tantum culpando, qvod insolens sacrificator fuerit, conveniebat publicari: is enim Philistinis imposuerat iugum 2. Chron. 26. 6, qvod tristandi potius, qvam gaudendi

materiam Philistinis præbebat. Neqve sub *Jothamo Achasi*
 Parente : hic enim Philistinorum terror formidine bellica
 Jugum hoc stabiliverat. Neqve sub *initium regiminis*
 ipsius Achasi : qvia tunc Philistinis, sive de successu regni ejus
 s. de calamitate ejusdem nondum constabat. Neq; in *medio*
regni ejus cursu : qvia licet Achatus non tantum Philistinos
 jugum ab *Usia Avo* iisdem impositum atque à *Jothamo Patre*
 formidine bellica stabilitum excutere, sed & ipsis Phili-
 stinorum terris, qvas *Avus Usias* jure belli regno *Jhudæ* ac-
 quisiverat, rursum privari se videret, dum illi in urbes planitiei
 & in urbes meridionales *Jhudææ* irruerent & *Beth Ichames*
 aliaque loca expugnarent, adeoqve tunc Philistæa sic satis
 jubilaret, *Jhudæa* vero ejularet ; non tamen publicandæ
 hujus Prophetiæ tempus tunc erat quadrans : Etenim
 DEUS eo tempore Israeli propter peccata Achasi præ-
 varicatoris & Apostatae Regis valde iratus (2 Chron. 18. 19.)
 punire ipsos Israëlitas per Philistinos volebat, ita ut
 Achatus in præliis Philistinorum semper succumberet conf.
 2. Chron. 18. 19. neqve adeo tunc prophetia de liberatione Isra-
 elis, tanquam jubilandi materia, conveniebat; sed commodiūs
 isto hæc revelabatur anno, quo non tantum post bellicam re-
 gni *Jhudæ* infelicitatem, supremum inter mortales diem Rex
Aches claudebat, adeoq; Philistæa sic confractam Regni *Jhudæ*
 potestatem existimans, in jubila erumpet : sed & *Chiskias*, li-
 berator Israëlis, Rex pius, Parenti Achaso, tanquam *Saraph vo-*
lans, ceu præsenti in loco vocatur, in salutem jubilūq; Israëlis
 succedebat. Nam in publicatione Prophetiæ hujus non tam
 respicitur ad *virgam percussentem confractam*, qvæ Philistæos
 ad jubilum inducebat, quam ad *Saraph volantem*, qui uti Sio-
 nis salus & jubilum, ita & Philistinorum pestis erat futurus,
 ades

adeoque prohibitionis jubili Philistinorum ratio existebat, quod initialia Prophetiae verba latis ostendunt, quæ ita habent: *Negauideas à Philistæa, in, inquam universa* (Philistæa) nuper propter clades Israëlis & nunciterum ob mortem Achasi in gaudium profusa: quia licet fracta sit virga, quæ ut colubræ fæse habuit tibi nocens, tamen colubri loco prodibit Sarapb volans, nocentior tibi longè futurus, de quo Sarapb porro jam & dispiciendum erit.

§. 3. Igitur II. de Serpente hoc volante persona per serpentinam hinc volantem designata dissipatur, duo evolvere tenemur, & (1) quidem nominalia s. nomina Ebraæ: Sarapb Meopheph, quibus certa hinc perlona vel personæ designantur, (2) realia sive personam potius ipsam, per sarapb volantem hinc indigitatam. Ad nomina quod attinet Ebraæ, quæ sunt מְעוּפָה קַרְשׁ, quæque reddimus: Serpens ignitus volans, (ratio vocis serpentis conf. §. II. fin.) quæ ritur (a) unde serpens hic dicatur קַרְשׁ i. e. ignitus ? (b) an קַרְשׁ hinc serpentem, an potius Angelum notet ? (c) quid de Vulgato habendum, qui nomina hæc קַרְשׁ מְעוּפָה reddit: absorbens volucrem ? (d) unde appelletur hinc serpens קַרְשׁ & an hac vocem notetur volans, an tantum saltans ? Resp. ad (a) nomen קַרְשׁ quod testibus Concordantiis non nisi septies in sacro reperitur codice, est nomen creaturæ flammantis s. ignitæ, à Rad. קַרְשׁ incendit, uscit, & primariò quidem est nomen Angelorum, quippe qui Isai. 6. disertè vocantur Sraphim & Psal. 104. 4 טֹהֶל שְׁנִי s. ignis flammans. Unde v. sic dicantur disputatur. Aben. Esra censet, ex unius Angeli facto, quo juxta Isai. 6. 6. labia is Prophetæ ardenti pruna testigat, nomen Sraphim ad reliquos transiisse omnesque adeo dictos esse קַרְשׁ i. e. flammantes. Verum omnes Angeli jam ante illummet actum à Prophetæ dicuntur Sraphim v. 2, neque seqv, v. 7. ubi ipsum opus illud angelicum describitur,

bitur, verbum פָּרָשׁ i. e. usit reperitur. Præstat v. talem nominis originem dare, qvæ omnib⁹ Sraphinis, non qvæ uni tantum conveniat. Dicimus ergo *Angelos* vocari *Sraphim*, qvia splendore fulgent, qui omnes superat flamas, & qvia agiles sunt sicut ignis, igneoz, fervore DEO ministrant, cœu annotavimus ad locum Jsaï. 6. de *Trisagio Sraphim* Disp. 7. partis I. illustr. Jsaï. Locorum §. 6. Deinde & *Sraphim* est nomen נְשָׂרִים i. e. *serpentum ignitorum*, qvales & illi fuerunt, qvos DE U S Israélitis murmurantibus immisit, ut eosdem occiderent, qvos adeo Lutherus vocat seurige Schlangen Num. 21. 6. 7. 8. Errant enim, qui serpentes illos non veros fuisse serpentes, sed morbi qvandam speciem h. e. dracunculos, in ipso Israélitarum corpore natos: qvæ sententia est Thome Bartbolini, qui seqvitur *Fortunium Licetum*, & nititur testimoniῳ Plutarchi, qvī l. 8. Sympol. qvæst. 9. p. 738. novum illud atqve inauditum de accolis Rubri maris ex Agatarchide recenset, qvod dracunculi crura & brachia edentes eruperint ac dolores vix tolerabiles attulerint; qvod tamen Plutarchi testimoniūm opinioni huic firmandæ non sufficit: Siqvidem non modò Plutarchum more gentilium h. e. incerta & falla admissendo, hos Israélitarum serpentes describere putam⁹, sed & ipsis scripturæ verbis potius innitendum, neq; à maximè proprio vocum sensu recedendum esse, nisi id summa postulet necessitas, censemus. Errant etiam, qui per serpentes illos ipsum intelligunt *Diabolum*, qvæ Lorini est sententia, in cap. 16; Sap. p. 570. scribentis; non inverisimile est, quemadmodum olim *Diabolus* adscivit figuram serpentinam, ut *Eva* falleret, sic eandem nunc induisse ut cruciaret. Cui itidem verba textus reclamant. Si verò qværatur, unde serpentes cum *Angelis* eodem nomine *Sraphim* gaudеant? respondetur à B. Varenio, Comment. in Jsaï. part. II. h. l. p. 47. Forte ab illo *Sraphino* Apostata, per serpentem Oratore Paradisi, serpenti illi & nomen Saraph.

Saraph. & veteris illius inflammationis Heva, per adspicuum & blandiloquium, signum, flamma oculusq; nicens.

S. 4. Ad qvæstionem (β) an שָׁרֵך hīc serpentem, an potius angelum notet? resp. notare hīc non angelum sed serpentem. Ratio dubitandi est, qvoniam hic Saraph dicitur שָׁרֵך i. e. volans, qvod prædicatum ceteroqvi Angelis tribuitur apud Iṣai. 6. 2. ubi Angeli dicuntur Saraphim, singuliq; alas habere sex, qvibus partim volant, partim velerunt faciem tum pedes, memorantur. Inde & R. Abarbenel, ut Chiskiam, Achasifilium & successorem, præcipue per serpentem hīc indigitatum (ceu infrā pluribus dicetur) eo magis in cœlu m efferat, nomina qvæstionis interpretatur angelum volantem; ed qvod Chiskias futurus esset sicut angelus Dei s. unus ex Saraphinis Iṣa. 6. 2. & alis, quasi gloriæ subiectus, omnes alias terræ Domini nos superaturus. Ceterum hæc interpretatio à Prophetæ sententia & contextu maximè abludit: qvia non Angelum Prophetæ cum serpentibus, sed serpentes cum serpente contert, cum diserte hīc dicit: ex radice colubri egredietur basiliscus & fructus ejus erit serpens ignitus volans. Qvis v. diceret fructum colubri esse angelum volantem? Neq; exponit hīc Prophetæ, qvis major gloriâ ex his Regibus, per hos serpentes indigitatis, sed qvis exitiosus magis fit Philistæis futurus. Ad qvæst. (γ) qvid de Vulgato habendum, qvi voces שְׁרֵך מַעֲמָקָה vertit absorbens volucrem? Respond. Vulgatum hīc, uti saepius alibi, graviter errare: ubi enim שְׁרֵך significat, absorbens & qvando vox מַעֲמָקָה significat volucrem? Equidem שְׁרֵך significat volare, unde nomen שְׁרֵך volatile, volucris, uti Gen. 1. 20. dicitur מַעֲמָקָה וְשְׁרֵך i. e. volatile voler: ubi Vulgatus perperam omittens verbum מַעֲמָקָה i. e. volabit s. voler, atqve ita locum vertens: producant aquæ reptile animæ viventes & volatile super terram sub firmamento cœli, videtur occasionem

sionem dedisse qvæstioni: an aves ex aqua sint productæ & quam meritò negamus per locum Gen. II. 19. licet B. Calorius in Bibl. illustr. ad locum Gen. I. 20. statuat ex aqua productas; At verò τὸ κεφαλὴν qvod est Participium in Piel & rectus hic casus cum præced. voce ἡρ, non nisi per volans est reddendum. Rectius ergo hic LXX. reddunt per: ὁ φως πτώμενοι, i. e. serpentes volantes, qvæ vox de aquila usurpatur Apoc. 4.7.

§.5. Ad qvæst. (δ) unde serpens hic appelletur volans? & an hac voce innatur serpens alatus; an v. tantum serpens saltans? Resp. qvod Schindlerus quidem in Lexic. p. 1949. scribat, serpentes videri volare cum saltitant; sed aliud est saltus, aliud volatus. Et sanè si constiterit, nonnullos serpentes alis esse instructos, qvisnam volatum iis denegaret? Similiter Job. d' Espange in suo Sibboleth p. 93. 94. non Dracones tantum, sed omne etiam serpentum genus privare alis conatur. At v. qvem scriptura non hoc tantum loco, sed & seqv. cap. 30. Isai. v. 6. disertè vocat μετόπη κέρας is non est nisi serpens volans adeoq; alatus. Neqve alia valet ratio, quam citatus Autor habet dicens, singulari providentia Dei factum esse, qvod nullis animantibus venenatis alæ sint concessæ. Ut enim taceamus, nostrum non esse limites providentiae DEI statuere; satis illa vel inde jam clarescit, qvod ejusmodi serpentes alati sint reperti, qvodq; Sam. Bochartus in Hieroz. l. 2. c. 13 col. 422. talis modi serpentes alatos non olim tantum in Arabia & alibi magno fuisse numero conspectos, sed & adhuc hodie in multis omnino regionibus reperiri, ex Autoribus fide dignis ostendat, cuius sanè verba, cum sententiam illa nostram ex asse probent, adscribere non pigramur. Ita v. ille: Serpentes alatos ex Lybia Cicero l. de nat. deor. & Josephus ex Arabia, l. 2. Antiq. c. 5. Herodotus l. 2. & 3. Mela l. 3. c. 9. Lucanus l. 6. Solinus c. 32. Ammianus l. 22. ex uerisq; partibus Elianus l. 2. l. 38. in Egyptum volare scribit, bydrorum

drorum babere speciem: res expressa est in Herodoto l. 3. c. 109. τὸν ἄριον
 οὐ μορφὴν τὸν τῷραν ὁρῶντες i. e. serpentis v. forma qualis hydrorum.
 Et ne quis putet, fabulosa esse, quæ de pennatis angvibus leguntur apud Ve-
 teres, sciat is, rem confirmari à pluribus nostro seculo atque in ipsa Gallia
 ad Pyrenæos Bygerrones angvium esse genus, quorum è lateribus alarum
 more ac facie panduntur cartilagineas. Ita Scaliger in Cardan. Exerc. 183
 & Brodæus Miscell. l. 1. c. 3. unum memorant in Santonibus à rustico ligone
 cæsum, cum in eum involaret & oblatum Francisco Regi. Cardanus etiam
 l. 7. de varietate rerum c. 19. scribit, quinque serpentes bipedes exiguis alis
 se vidisse Lutetiaz sed ex India alatos, in qua' pennatos angues pridem de-
 scripserat Megasthenes in Æliano l. 16. c. 4). Et Odoardus Barbosa agens
 de monte, quo dividuntur Malabor & Narsinga: ibi. inquit, & alati & volu-
 cres serpentes reperiuntur valde venenosí, quos flatu & aspectu propriis
 accedentes interficere fama est. Hæc penè ad verbum descripsit Scaliger in
 Cardanum Exercit 183. c. 5. Et Vincentius le Blanc partis primæ peregrina-
 tionum c. 21. ad ortum lacus Chiamay magna sunt sylvae & vastissimæ
 paludes, ad quas iter est periculosem, quia ibi serpentes maximi degunt,
 qui tanquam vespertilionum alis è terra sublati, & extremâ caudâ subnixi
 rapidissimè feruntur &c. Haecenus ille. Unde & Kimchi ad locum
 nostrum in part. 2. Michlol seqventia annotavit: כהן אומרים
 כי יש נחשים ימאנין בארץ כו' יש לה' כנפיים ויעופו:
 i. e. ajunt dari serpentes & reperiri in Æthiopia, iusq; esse alas &
 volare. Tales quoque alatos fuisse illos serpentes ignitos, à
 quibus morsi sunt Israëlitæ murmurantes in deserto, & qui-
 bus in remedium morborum oppositus jussu Dei à Mose fuit
 serpens eneus Num. 21. non omnino nullis videtur, qui & æne-
 um hunc serpentem talern habuisse figuram opinantur: cum
 veritati propinquum sit, serpentem illum expansis plane alis
 perticæ vexillari (quæ crucis formam juxta eosdem habuit)
 affixum fuisse, ut Christum Mundi Redemptorem crucifixum
 figuramque serpentum ignitorum eò clarius referret. Quem
 typum de Messia ex Ebræis quoq; non pauci intellexerunt ita
 ut ductu Divino factum censuerint, quod nomen Ebræum sera-
 pentis שׂרֵן & Messiae משיח eundem plane numerum 353. con-
 sicere deprehendantur.

N

§. 6. Ha-

§. 6. Hactenus de *nominibus* Serpentis igniti volantis. Qvoad rem verò seu potius Personam, his nominibus designatam, rursus nobis qvæstiones qvædam occurrunt resolvendæ. Et (1.) qvidem qværitur, *quænam sit persona* hīc designata, qvæ Philistinorum perditio erat futura? (2.) qvænam *comparationis* personæ hujus cum serpente ignito volante sit ratio? (3.) qvænam personæ ejus *origo*? Ad (1.) qvæstionem, *quænam persona* per serpentem hīc designetur, qvod attinet, respondemus primò *generatim*, Regem hīc potentem designari. Neqve mirum id esse putamus: Siquidem & Reges Ægyptiorum in diadematibus aspides pictas gerebant, qvæ invictam imperii potentiam significant; qvia scil. eorum, qui ab aspide morsi sunt, nemo evadit, juxta *Aelian. Hist.* 6.38. Sed qværitur porro, *quisnam speciatim ille Rex fuerit*? Resp. juxta communiorem sententiam designatur Rex Chiskias, qui filius & successor Achasi, quo moriente hæc Prophetia fuit publicata. Scilicet triumphabant Philistæ non tantum de cladi bus Israëli paulò ante obitum Achasi illatis, sed & de morte ipsius Regis Achasi; contra v. Propheta Philistinos à jubilo dehortatur, qvia successurus Achaso, similis basilio & serpenti ignito volanti, longè nocentior ipsis sit futurus. Is v. quis alius, qvam Chiskias? In Achaso enim passi sunt Philistini colubrum; sed in Chiskia, qui ex Achaso oriundus, experti sunt basilecum & Serpentem ignitum volantem, ceu videre est z. Reg. 18. 8. Et in hoc communiter qvidem Interpretes consentiunt. At verò non possumus hic, qvin ab illis non nihil dissentiamus. Evidem illustre satis argumentum est ex z. Reg. 18. 8. pro Chiskia petitum, ubi historiographus sacer testatur, Chiskiam Philistinos, hactenus victoriis contra Ihudæos tempore Achasi elatos, profligasse, & qvicquid haberunt usq; ad Gazam iisdem eripuisse; sed hoc argumento

mento plus non efficitur, qvam qvod Serpentis hujus igniti volantis nomen primariò Regi Chiskiæ, Achasi filio & successori, conveniat: Siquidem Rege Chiskia Serpentinorum effectuum contra Philistinos fementis prima est facta & gratia simul divina ab Iсаia hic promissa initium sic satis illustre sumvit; Cum v. Chiskias non etiam reliquias Philistinorum occiderit, qvod tamen seqv. versu 39. paulò post exposuendo dilertè promittitur, cum Propheta ad Philistinos dicit: *interire faciam famem radicem tuam & reliquias tuas occidet*, sc. ille Saraph volans; sed complementum illud posthac ipsum corpus Jhudaicum, cuius caput Rex erat, addiderit, hinc malumus hoc vaticinium de Saraph volante, Philistinos occiso planèque extirpaturo, ad universum corpus Jhudaicum referre, ita tamen ut Chiskias fementem exitii primam vel initium occisionis Philistinorum fecerit maximè luculentum. Suffragatur nobis *Calvinus* in Comment. Iсаi, h.l. p. 134. & ex eo *Marloratus* in Iсаi, h.l. p. 132. 6. Longè v. à nobis certisque Interpretibus dissentit *Chaldaeus Parapbrastra*, qvippe qui per serpentem ignitum volantem neq; Chiskiam neque universum populi Jhudaici corpus, sed filium filiorum Iischiæ (Jesse) *Messiam* intelligit, hoc modo reddens: *ne letemini à Philistai universi vos, quod contrarium sit dominium, cui serviebatis.* Qværatio? quia ex filiis filiorum Iсаi egredietur *Messias* & erunt opera ejus in vobis quasi serpens volans. Ceterum licet Moses etiam *serpente aeneo*, qui in diserto erectus Num. 21. respexerit ad Christum, ceu ipse Christus interpretatur Joh. 3. licet etiam Propheta noster oblatâ occasione, (qvod ex anteced. satis capitibus patuit) interrupto argumenti filo ad Messiam suo more abripiatur; hoc tamen loco sententiam de Messia contextus non admittit. *Dices;* absurdum

tamen videri, Chiskiam Regem tam pium, & justitiae ac pie-
tatis laude in scripturis conspicuum, intelligi per serpentem
ignitum volantem. Sanè R. Abarbenel hoc dubio motus vi-
detur, ut vocem Ebr. Saraph non per serpentem sed per ange-
lum fuerit interpretatus, adeoq; Chiskiam censuerit vocari
Saraph, eò qvod futurus esset sicut Angelus DEI, unus ex Seraphi-
nis, qvod supra §. 4. refutatum est. Sed absurditas illa exspiri-
bit, si porro ad seqventem fuerit quæstionem responsum.

§. 7. Ad quæst. ergo (2) quænam comparationis persona
hujus s. Chiskiæ cum serpente ignito volante, sit ratio? respon-
demus, Chiskiam non malitiæ, sed dexteritatis respectu, qva
impium & inimicissimum planè populum gravius qvam A-
chas, à quo fuit oriundus, affixit, nocentiori huic serpenti
comparari. Neque enim insolens scripturæ est, optimis qui-
busq; viris certo respectu nocentissima longè nomina assi-
gnare. Sic Apostoli odor mortis ad mortem, sed impiis & in-
fidelibus, vocantur, & Tribus Dan comparatur serpenti juxta
semitam insidianti Gen. 49. non malitiæ, sed vigilantiæ respe-
ctu, qva contra Philistinos prædicitur se defensurus. Quid?
qvod ipse Messias serpenti comparatur Joh. 3.14. & ab Hosea c.
13. pestis vocatur; nec tamen id nominis ignominiosum ipsi,
sed gloriosum est.

§. 8. Tandem ad quæst. (3) quænam serpentis hujus origo,
& quis adeo per שׁׂרֵה s. colubrum, quis item per עֵזֶל s. basiliscum
intelligatur, ex quorum radice vel semine egressurus hic dici
videtur serpens ignitus volans h.e. Chiskias? Resp. qvod coñu-
nior hic sententia sit, per שׁׂרֵה s. colubrum intelligi præcipue
Usiam Regem Jhudæ Chiskiæ proavum, non excluso tamen
filio Usiæ, Jothamo, Chiskiæ avo (qui sanè ambo Philistæam
graviter affixerunt, uti suprà recensitum) & per עֵזֶל vel
basiliscum, cuius fructus hic dici videtur serpens igni-
tus volans, Regem Achasum, Chiskiæ Parentem denotari,
q. d.

q. d. licet ex *Uisa* & *Jotbamo* serpente magno egressus fuerit *Achbas*, coluber imbellis, tamen fructus Achasi rursus erit serpens ignitus volans s. draco volans maximus. Ita B. *Varenius*, Comment in *Isai*. Part. II. h. l. pag. 46. fin. Similiter ferè *Grotius*, *Piscator* alioq; exponunt. Sed neq; hīc facere possumus, qvin à communiori illa interpretatione discedamus, ita ut per $\psi\pi\gamma$ s. *colubrum* vel serpentem, ex cuius radice $\nu\pi\gamma$ s. *ba-*
siliscus vel regulus erat egressurus, non Regem *Uiam Chiskiæ* Proavum, sed *Abasum Chiskiæ* Parentem, & per $\nu\pi\gamma$ s. *basiliscum* non *Achsum*, sed *Chiskiam* significari statuamus, ita ut posterius membra incisum ($\&$ *fructus ejus Saraph volans*) sit exegeticum prioris incisi (ex radie colubri egredietur *basiliſcus*) adeoq; voces *ex radice colubri* exponantur per *fructus ejus*, $\&$ vox *basiliscus* per *serpentem ignitum volantem*: unde & lequitur, qvod affixum $\&$ *ejus in יְנִיר* i. e. *fructus ejus*, non ad proximum $\nu\pi\gamma$ s. *basilicum*, sed ad remotum $\psi\pi\gamma$ s. *colubrum* sit referendum, adeoq; *Chiskias* & per *basilicum* & per *Saraph volantem* intelligendus. Talis enim exegesis apud *Ebræos* maximè est freqvens, qvæ & h. l. arridet Sanctio in *Comment. super Isai* p. 167. Sententiæ etiam nostræ fautores esse videntur Dn. D. *Seb. Smidius*, *Comment. in Isai* h. l. p. 149. dum ait: *Regulus* (*basiliscus*) & *Cerastes volans* est *Chiskias*. Et *Calvinus* in *Comment. Isai. h. l. p. 139.* dicens: proinde ab aliis dissentio, qui reguli & presteris volantis nomen ad *Ezechiām* duntaxat referunt: qvæ *Calvini* verba repetit *Marloratus*, in *Comment. h. l. p. 152.* Favet quoq; *Musculus* *Comment. Isai. h. l. p. 253.* ubi ait: *In Uisa, Jotbam & Achas passi sunt Philiſtai Serpentem, at in Ezechia, fructu Achas, invenient basilicum & Presterem volantem.*

S. 9 Rationes discessus nostræ communiori sententia damus sequentes sic satis luculentas: Num (1) $\nu\pi\gamma$ s. *basiliscus* dicitur egressurus ex radice $\psi\pi\gamma$ s. *colubri* vel serpentis: siquidem \aleph est Futurum in Kal; at vero Achas, quem communiter per illum $\nu\pi\gamma$ s. *basilicum* deno-

denotari putant, jam cum erat non tantum natus sed & denatus, cum Massa hoc Philistinum ab Isaia publicaretur : uti ex præced. versu 28. & supra dictis jam constat. Proinde Achas jam mortuus, ex radice τὸν ωρίον s. Usiæ vel semine ejus, util LXX. redundit, egressurus dici nequit; sed Chiskias potius Achasi filius ille erit γένος seu basiliscus, & Achas ille ωρίον s. serpens, ex quo Chiskias oriundus (2) tex-tui convenientius est, per ωρίον s. colubrum, ex cuius radice basiliscus & Saraph volans h. e. Chiskias oriundus, intelligi non usum sed Achas-sum: quia de solo hoc Achaso præced. versu. 28. habetur mentio, quippe quo defuncto hæc Prophetia contra Philistinos fuit publicata, & quem Propheta hoc ipso v. 29. dicit virginem Philistinos percutientem, sed jam fractam, ceu deinde ostendetur. (3) ipsum quoque nomen γένος h. e. basiliscus, ceu Hieronymus aliquique redundit, (cujus cognatum est γένος sauciavit & γένος coloratus est variss lineis (uti serpentes) quodq; supra Isai. ii. v. 8. & infra c. 59. s. ut & Jerem. 8. 16. & Prov. 23. 32. Cum augmentatione exprimitur per γένον qvod pariter ab Interpretibus, Aquila, aliisque vertitur basiliscus, regulus;) hoc, inquam, no-men, rectius Chiskias filio quam Parenti ejus Achaso competit: longè enim nocentius reptile statuitur γένος i. e. basiliscus, quam ωρίον i. e. coluber s. serpens, id qvod vel ipse contextus arguit: sicut & longè nocentior Philistinis fuit Chiskias quam Achas, uti constat con-ferenti loca 1. Reg. 13. 8. & 2. Chron. 28. 18. Qvod v. basiliscus (qui in Ægypto, Lybia & Cyreniaca freqvens perhibetur adeoque per Ægypti nos torus esse Jhudæis potuit) immanis plane maximèq; nocens sit serpens, ex collatione locorum paulò ante ex Isaia, Jerem. & Prov. productorum patescit, ubi mordere & pungere dicitur. Mortuum verò ejus immedicabilem esse, nec mortu tantum, sed & vivu atque sibilo nocere, tradit Avicenna. Vid. Bocharti Hieroz. l. 2. c. 3. col. 399. Alii vero fabulosum esse dicunt, basiliscum solo visu necare illos posse, quos prior ipse conspexerit: vid. Kirchmeier: Disput. de Basilico c. 7. s. 6. Unde & quidam per basiliscum intelligent apidem Vid. Sperling. in Zoolopia p. 442. & nonnulli Interpr. γένος per apidem verterunt, cuius quoque mosus immedicabilis mor-tem que certissimam inferre Aeliano aliisque perhibetur. Ex qui-bus

bus adeo patet, וְ שָׁׁרֵן s. *cobrūm*, ex cuius radice egressurus erat יְהוָה s. *basiliscus*, non applicandum esse ad *Ussam*, sed ad *Achāsum*; nec per *basiliscum* intelligi *Achāsum*, sed *Chiskiam*, adeoque *Chiskiam* non tantum *serpentis igniti volantis*, sed & *basilisci* instar habere.

S 10. Sed verò excipies (1) ad primam rationem, per instantiam, qvod כִּי *Chiskias*, filius Achasi, annos jam 25. fuerit natus cum Parens ejus hic Achasus diem obiret suum, & Massa hoc Phelescheth publicaretur, conf. 2. Chron. 19.1. & tamen is ipse *Chiskias* per nos etiam ex *Achāso* egressurus s. *fructus Achāsi* futurus dicatur. Sed responderi potest: Licet *Chiskias* non demum fuerit tempore mortis Achasi & publicationis Massa hujus ex Achasonasciturus tantquam filius ejus; tamen ex eo in tantum egressurus dici potuit, in quantum eidem in regno jamjam erat successorus, & tantquam *basiliscus* & *serpens ignitus volans* plus damni Philistinis non statim tempore mortis Achasi, sed posthac illatus, qvām Achas Parens intulerat. Dices (2) cum C alvino ex Comment. Isaï, b. l. p. 134. falso per שָׁׁרֵן s. *cobrūm*, ex qua יְהוָה s. *basiliscus* erat egressurus, intelligi *Achāsum*, qvia is Philistae non fuit *serpens*: quoties enim cum Philistinis confixit, *victus* est. Sed Resp. (a) per instantiam: Si Achas non fuit שָׁׁרֵן s. *serpens*, multò minus fuit יְהוָה s. *basiliscus*, ex *Ussia* orlundus, qvia *basiliscus* longè nocentius reptile est qvām *cobrē*, cēu paulò ante ostensum; per quem tamen *basiliscum* h. l. *Achāsum* intelligi centent, qui nobis hic refragantur. Ita enim B. Varenius l. c. p. 46. Per יְהוָה licebit *Achāsum* intelligere. Inst. ille non erat *serpens* Philistinis. Resp. Erat *serpens imminutus*, *imbellis*. Aliud est יְהוָה aliud צְפֻנָּוִי . Ad qvæ verba adhuc notantur, rationem distinctionis inter יְהוָה & צְפֻנָּוִי non apparere: Interpretes utrumqve per *basiliscum* s. *regulum reddere*, ex præcedente §. 9. patescit. Præterea si Achas fuit יְהוָה s. *basiliscus*, sanè *imbellis* non fuit, uti ex illis qvæ dicto jam §. notavimus, obscurum non est (3) certum tamen est, *Achāsum* cum Philistæis conflixisse 2. Chron. 28. 18. Igitur licet Philistæi Achaso tandem de victo aliquas Ihudææ civitates juxta l. c. eripuerint & olim sub *Ussia* amissas recuperarint; illud tamen non sine omni Philistæorum damno factum esse collectu est proclive, idq paulò ante Achasiobitum conti-

contigit videtur, cum ceteroqui prius idem Rex Achas *virga* percutiens Philistinos vila fuerit. Siqvidem & (γ) Achas præcedente hujus 29. vers⁹ membro dicitur מִכְחָה שֶׁפֶט מִכְחָה i.e. *Virga* percutiens Philistinos: Ergo is serpens fuit Philistæ: siqvidem judge B. Varenio l. c. p.46. positus est parallelus inter מִכְחָה שֶׁפֶט מִכְחָה s. *virga* percutiens, atque שֶׁפֶט נַחַשׁ i. radix serpantis: Unde מִכְחָה percutiens & שֶׁפֶט נַחַשׁ serpens idem notant subiectum, non Usiam juxta Kimch. Tremellium aliosq;, qvippe cujus nulla hic mentio habetur; sed Achasum, adeoqueverba: נַחַשׁ כָּבֵר שֶׁבֶט מִכְחָה non reddenda cum vulgato: *Virga* percursoris *tui* confrat̄a, ut per illum percursor. m Philistinorum juxta illos intelligatur Usias, vel cum Tremellio: *virga* pecutientis te; sed *virga* percutiens te, ut ut ipse Achas denotetur, cum sermo h̄c sit de Achaso, qvippe cujus mortis tempore hoc fuit Massa publicatum, non vero de Usia Achasi Ayo. Neq; de hoc Usia jam pridem functo, adeoq; tunc fracto, gaudere nunc anno mortis Achasipotuerunt Philistæ. Jam verò illa hic *virga* percutiens intelligitur fracta, de qua Philistæ in præsenti gaudere à Propheta prohibentur. Sententiae huic nostræ textui magis convenienti suffragatur Hieronymus, Lutherus & Brentius, item D. Seb. Smidius l.c. p.148 Sed dices(3) si Chiskias per υδε h.e. basilicum juxta nos denotatur, Ergo idem Chiskias per serpentem ignitum volantem intelligi nequit, qvia basiliscus non est serpens ignitus volans. Sed respond. si h. l. serpentes significarentur naturales s. propriè dicti, consequentiae argumenti locus esse posset; jamvero non de proprio dictis sed metaphoris i.e. Regibus, qvi serpentibus similes Philistinis nocuerunt, sermo est, adeoq; Regem Chiskiam & basilisci & serpentis igniti volantis instar simul habuisse qvis dubitaret? Et hac ratione, de serpentibus metaphoris præsupponit, dubium hic nobis movendum non est, qvomodo ex colubro vel serpente imbelli nascatur basiliscus & serpens ignitus volans? neqve adeo curiosè disputandum, an Saraph volans hic per Cerastem cum Vatablo & Ar. Montano; an per presterem cum Jun. & Trem, item Piscat. aliisqve, an per hydrum s. Chersydum cum Bocharto, an per Draconem volantem cum Luthero fit reddendus? Nobis placuit serpentis nomen cum addito igniti volantis retinere, cum & Num.21. illi Saraphim sive igniti serpentes, à qvibus Israëlitæ mordebantur, expresse dicantur נַחַשׁ i.e. serpentes.

§. 12. Tan-

§. 12. Tandem his ita explanatis *contraria* quoque
serpentis hujus s. Chiskiae *effecta* paucis ex seq. v. 30. subjiciemus.
Contraria, inquam, *effecta*: ut enim à parte Philistinorum *basiliscus*
hic & Saraph volans futurus erat *occisor & expirator* adeoque pestis:
ita à parte Sionis s. Ecclesiæ Iudaicæ pastor & protector adeoq; salus.
Scilicet ne forte Philistæ vel etiam Iudæi audientes, ex Achæo
serpente egressurum esse longè nocentiorum basiliscum & ser-
pentem ignitum volantem Chiskiam, existimarent, illum non Phi-
listæis tantum, sed & suo fore populo talem, statim Propheta discri-
mens quoddam *effectorum* annectit. Non enim tam Philistino-
rum gratiâ, quibus minando nihil profecit, quam Iudæorum, quos
consolari voluit, hanc prophetiam publicavit. Proinde prius *effe-*
ctum respectu Ecclesie Iudaæ his describit prioribus verbis:
ורעו בכוּרִים ורְבָצֹו: *לכְתָה וְאַבְיוֹנִים* i.e. & *pastentur primogeniti attenuato-*
rum & *egeni in fiducia recubabunt*, (scilicet *instar pecudum*
cum pastæ sunt) Dein respectu Philistinorum ita illum exprimit:
וְהַמְחֵר בְּרֻב שְׁרָפָן וְשָׁאַרְיָה יְהִרְגֶּ:
גַּם tuam & reliquias tuas occidet (ille scil. Chiskias, basiliscus & Sa-
*raph volans) Ex fonte hic notanda à parte Iudææ phrasis
בְּכוּרִים דְּלִימָד i.e. *primogeniti attenuatorum*, & à parte Philistææ verbum
וְהַמְתוּ i.e. *mori faciam*. Ut posterius hic præmitramus, verbum
cujuſ Radix מות, planè est irregulare & anomalia ejus
singularis in Hiphil, pro וְהַמְתַתִּי Vid. Wasmuth. Gramm. R. 40. & hoc
pro ad formam *הַקְּמוּתִי* & hoc pro *הַקְּמוּתִי* ad formam
הַקְּפָרְתִּי Vid. Wasm. l.c. Reg. 36. m. 3 in fin. p. 165. Circa phrasin vero pri-
mogeniti attenuatorum à parte Iudææ, quæritur, quinam hic denomen-
tur per *primogenitos attenuatorum* s. *pauperum*, & quid sibi hac phrasis
velit? Repl. (1) ex duplice oppositione tam subjectorum quam prædi-
cotorum, quæ versu hoc 30. à Propheta formatur, satis colligimus,
intelligi Ecclesiam sanctorum Israëlitarum. Sicut enim per radicem
fame necandorum, quæ opponitur *primogenitis attenuatorum* sub hoc
Saraph volante pauperum, & per *reliquias gladio occidentas*, qui
opponuntur egenis fiducialiter recubitus, non nisi Philistini, hostes
Israëlitarum infensissimi, intelliguntur (conf. v. 28, ubi Propheta uni-
*versi-**

O

versitatem Philistæ alloquitur) ita per attenuatos atque egenos denotantur justi verique Israëlite, in Messiam credentes, qui ut plurimum non in suis tantum oculis sunt tenues spirituque pauperes, sed & coram mundo viles & contemti, quamvis DEO Angelisque grati & gloriost: adeo quæ titulus primogeniti, qui construitur hic cum attenuatis s. pauperibus, non videtur deprimens, sed attollens: siquidem & alias vox primogeniti præstantiam & dilectionem infert, adeoque veri & justi Israëlite vocantur primogeniti tenuissimi exhaustorum, quoniam inter illos, qui pauperum more à potentioribus tunc Philistinis, tempore Achasi, indigna fuerunt passi, præcipui erant in oculis DEI maximeq; curabantur DEO & propter Messiam, in quem credebant, amabantur: Primogeniti enim non tantum sunt, qui primi inter fratres nati & genitoribus maximè sunt dilecti magnoque præ ceteris jure gaudent: sed per metaphorā quoq; vox primogenitorum ad alios traducitur, qui quolibet in ordine sunt præcipui & insignes maximeque dilecti. Per metaphoram dicimus, nempe à primogenitis V. T. sumtam, qui inter fratres excellebant propter triplex privilegium, dominii scil. Sacerdotii & duplæ hæreditatis, conf. Gen. 49. 3. & c. 48. 19. Sic Marcius hæreticus Polycarpo vocatus est primogenitus diaboli, referente Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, eo quod Diabolo is primo habitus loco maximeq; sit dilectus: Contrà populus Israël vocatur primogenitus DEI, Exod. 4. 22. quoniam DEO is primo habitus est loco maximeq; fuit amat & respectu gentium, quas etiam in populum ad scistere suum DEUS statuebat. Ubi tamen (2) notandum, quod in hac phrasī non semper primogeniti illorum sint geniti seu filii, cum quibus construuntur, ut h. l. primogeniti attenuatorum. Ita & Christus dicitur primogenitus omnis creatura Col. 1. 15. non quasi filius sit creatura omnis, seu creatus sit ante creaturas, cœu Ariani volebant: ita enim dicendus fuisset πρωτότοκος i. e. primò creatus; aliud vero est πρωτότον s. primogenitus: unde sensus est hic: genitus ante omnes creaturas, scil. ab æterno quoad divinitatem, immo & præcipiuus inter creaturas quoad humanitatem maximeque DEO dilectus. Ita ergo Christus est primogenitus omnis creatura, ut omnia quodque ab eo sint condita, visibilia & invisibilia, & ipse sit πρωτότον i. e. ante omnes, cœu idem

idem Apostolus ad Colos. I. seqq. v. 16. & 17. docet. Sic Ijob. 18. 13. dicitur : comedet ramos ejus בָּכֹר primogenitus mortis, non quod genitus s. filius sit mortis, sed notari videtur præcipua, s. horrenda mors, quæ inter alias eminent mortes &c. (3) Alii v. phrasin primogeniti cenu- ium per superlativum exponunt, q. d. pauperissimi, miserrimi: ita Vata- blus in notis ad biblia sua h. l. item Forer. & Grotius. Qvibus & an- nuit B. Wafmūius in Gram. Ebr. Reg. 19. m. 5. edit. B. n. 4. ubi docet, super- lativum ap. Ebraeos non tantum fieri per geminationem positivi, ut Dominus Dominorum i.e. maximus, Servus Servorum i.e. vilissimus &c. Sed & per regimur, exemplo hoc adducto : primogenitus miserorum i.e. miserrimus. Sed nobis non arridet, quia in aliis ejusmodi phrasibus jam citatis id non procedit, neque superlativo in illis locus est. Unde & B. Varenius l. c. p. 48. ad questionem, à se formatam: an pri- mogeniti pauperum sine Iudei pauperimi & in eis omnes affictos afflitti- mi, uti Job. 18. 19. primogenitus mortis, mors potentissima? non respondeat affirmando; sed dicit, notari veros Israelitas, additque titulum Primogenitorum non esse deprimendum sed attolendum, uti & paulo ante abs nobis ostensum. Tantum de phrasi. Atq; hi primogeniti pau- perum prius à Philistinis afficti & ad paupertatem quoq; corporalem redacti, non tantum sub Chiskia tanquam Pastore & protectore latus animæ corporisq; bonis frumentur, cum contrâ Philistinorum radix fame fuerit interitura? sed & fiducialiter recubabunt, adeoque reliquia Iudæorum usq; ad tempora Messiae ipsis promissi servabuntur, tan- tum abest ut à Philistinis extirpenatur; conf. Isai. 10. 21. 22. cum contrâ posteritas & residui Philistinorum gladio fuerint turbandi atq; adeo penitus extirpandi.

§. 13. Usus loci, cuius sensum hucusque dedimus, eo tendit, ut I. discamus (α). Principum esse officium exemplo Chiskia, Regis qui- dem pii, sed & respectu Philistinorum basiliæ & Saraph volantis, non modò defensores esse suorum & Pastores, adeoque iis de tutela & pascua cum spirituali turn corporali prospicere; sed & malos patriæ q; hostes arcere (β). Malum impiis subinde in pejus mutari: ut sicut Philistinis, ita & impiis perinde accidat ac si quis à serpente libera- tus, in basilicam & ignitum volarem incidat. Videtur enim Pro- pheta-

pheta sub metaphora serpenti, basilisci & Saraph volantis generalem
 hic sententiam posuisse, quæ locum habet, quando gravi cuidam
 infortunio aliud longè gravius, aut potenti atque infesto hosti
 aliis potentior atque infestior succedit. Conf. Sanctius in Com-
 ment. Isai. h. l. p. 166. (y) Ab hominibus pii (quæ fuit Chiskias) alie-
 num non esse, mutari quandoque in basiliscum & serpem ignium volan-
 tum, non quidem contra pios & justos diu afflictos, quibus minuenda
 potius atque afferenda quam addenda afflictio; sed contra hypo-
 critas & injustos populi que DEI hostes; quanquam hujusmodi spi-
 ritus est rarus, & nequaquam studio carnis usurpandus (d) impio-
 rum statum nunquam adeo firmum esse, quin eundem facile (uti hic Phi-
 listinorum) evertat DEUS, & non tantum ramos eorum præscindat,
 sed & radicem perdat. Proinde & II. hic admonemur, (a) ne uspiam secu-
 titati locum relinqamus, sed potius vigilamus & in ferio semper poe-
 nitentiae studio perditionem deprecemur (b) ne magno perè latemur, si
 quando percutiens confrangitur hostis, nisi tales simus, ad quorum
 libertatem facere illius confractio queat. Impenitentibus & im-
 piis (utili hic Philistinis) virga percutientis non tollitur dum frangitur,
 sed graviori flagello permutatur. Populus quidem DEI merito gau-
 det cum Pharaon frangitur, idemque lucifero illi superbissimo Babelis
 Regi è cœlis prolapso insultans & cantans jure introducitur, Isai. 14.
 v. 4. s. 12. hostes enim illi deturbabantur, ut populus DEI de mani-
 bus Tyrannorum liberaretur; Philistæi vero talis tunc jubilandi causa
 non erat, cum Achas Rex Iudeæ, virga percutiens ipsos, frangeretur.
 si quidem Rex Iudeæ populusq. DEI confringebantur, non ut Philistæi,
 gens idolorum cultu involuta & polluta, (quod & nomen ipsorum
 קָרְבָּלָה à R. שְׁלֹמֵה volvatur, polluit, se, indigit, liberarentur, sed ut
 Iudeæ castigatione quidem humiliarentur; deinceps vero ho-
 stes suos ductu Regis longè gravius nocentis extirparet. Unde
 & III. hic solatio quodam eriguntur pii & attenuati, sub cruce ge-
 mentes, ne animum despondeant suum, sed confidant DEO,
 qui tandem extirpat hostibus impiisque (uti hic Philistinis) libe-
 rabit eos. Tunc vero latens animæ corporisque bonis
 pacentur tuisq; recubabunt.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

Serpens Ignitus volans Jesaianus occasionem præbet nonnulla
de serpentibus subiungendi.

I. Etsi F. Joseph (lib. I. Antiq. jud. c. 2. ad locum, Gen. iii.) solum serpen-
tivem, quam antè habuerit, ademisse putat; Veritas tamen docet, hunc ser-
pentem verum quidem & naturalem, non tamen nudum, sed ab
Angelo malo obseculum fuisse: indeque pena, post seductionem Hominis
denunciata, non ad serpentem solum, sed partim ad serpentem Gen. III. v. 14.
partim ad obsecorem diabolum (v. 15.) est referenda.

II. Falsissime Celsus, (ap. Orig. Lib. III.) ea, quæ de serpente seductore
deq[ue] creatione, tradit sacer codex, ex Hesiodo desumpta esse, vociferatur;
cum Moses antiquior sit omnibus Scriptoribus Græcis, Ipsos contrà Gentiles
interpolatores dogmatum Christianorum ac depravatores fuisse Origenes,
Minutius Felix, Justinus M. &c. probarunt. Pulchra è de re sunt verba hac
Lactantii (Inst. Lib. XI. v. 10.) De hominis fictione Pōr̄te quoq[ue], quamvis cor-
rup̄tā tamen non aliter tradiderunt; namq[ue] hominem de lazo à Prometheus
factum esse, dixerunt. Roseos non fecerint, sed nomen artificis-qua prophe-
tarum vicinio tradi a in Sacario-DEI continebantur, ea-degravata-tar-
minibus suis comprehendenderunt.

III. Nulla ferè hæresis magis sedueta est ab antiquo illo serpente quam
Ophitarum s. serpentis cultorum: qui, teste Epiphanius (hæc 37.) Serpentem
(seductorem) hominibus ferentia omnis auto em extirpasse, imò Christum
eundem esse, tradiderunt.

IV. Serpentes igniti Israëlitis murmurantib[us] à DEO immissti (Num. XXI. 4.)
non creari demum; nec aliunde adducti fuerunt, nec statim post malum in-
flictum extincti; sed illis ipsis in locis habuerunt domicilium suum, quam-
quam Israëlitis hactenus, per DEI providentiam, innorum;

V. Per serpentem æneum non præfiguratus est diabolus, aut mors, sed
ipse Salvator noster, Christus. Illeq[ue] fieri quidem posse imagines, at nulla-
tenus aderandas eas esse ostendit.

VI. Quotquot ex Pontificiis cum Lorino (in Sap. p. 572.) & P. Aringho
Rom. subt. Tom. VII. L. 5. c. 4. fol. 230. atieum serpentem Mediolani adhuc
asserari, ecent, in omnib[us] suis reliquiis nihil relictū esse veritatis, fatentur.

VII. Concubitus Serpentum cum mulieribus, ex quo progenitus traditur
Alexander, &c. magnum dat diabolicæ malitiaæ specimen. Generatio à tali
inceubo nullo modo est facta. Non satis igitur mirari possumus maledicen-
tiam Cochlei, &c. qui Lutheram ab incubo generatum esse, assuerunt.

Ipse profectus Socius eorum Maimbourg commenta hæc in Hist. Luth.
Lib. I. lect. 8. refutat.

Præclarum Doctum Dn. H. A. ENGELKE,
Amicū affinitate conjunctum atq; Ad torem solerissimum,

DE

SARAPH MEOPHEPH ex JSA. XIV, 29.

publicitus Disputaturum.

In gens + qvi studio satis ingenioqve videris,
Jam magis eluces, dum documenta dabis.

† Engelkenig
Anagr.
(1) Ingene
eluce.

Materies Tibi Serpens igniusque volansque,
Ille Philistæ pestis, honosqve Sion :

Materies bene conveniens : qvia nomine gaudes
Angelico, simul ac Angelus esse studes.

Angelus & Serpens en! uno nomine. (a) SARAPH
Fulgent, igniti (b) sunt & uterque volat:

(a) Vid. Disp.
§. 3.

Tuqve VIR igne * mihi tu'es, ferroreqve clares,
Tu non serpishumi, docta per ora volas.

(b) Isa. 6.2.
c. 19. 29.

Grator, Amice, decus tu'is gratorque volarum:
Evadas ingens inde VIR igne sacro.

* (2) En igne
lucet.

Esto malis serpens, precor, angelus esto bonisqve,
Sis desideriis igneus atqve volans!

Summa per astra voles precibus: Sic Spiritus, ille
Ignis, ad Angelicos Te vehet usqve choros!

T. Mqve

A. D. HABICHHORST, D.

PErge, qvodes, magis esse, Tuum caput extere famæ;

Qvis neget, hos ausus omen habere bonum?

Peregrinio Viro- Juveni, Consalino & Auditori suo
Amicissimo gratulabundus sc.

JOACHIMUS LINDEMANN, D. P.P.

Biblia noster amor, procul hinc procul ite profani!

Biblia deliciæ, Biblia noster amor!

Hæc Augustini * Tibi symbola sola placere,

Vel specimen, qvod nunc sistis, Amice, probat.

* v. Inter

Nunquam siste gradum, sed tende per alpera ad alstra,


loca pluri-

Lumen ut & columen Tu vigeas Patriæ!

ma Ep. 2

Clariss. Dr. Responsu'ro Auditori in Lectionibus Publicis, Privatis
& Privatisimis ob ingenitifelicitatem improbamq; discendi ar-
dorem commendatissimo, de studiis laudatissime hactenus gestis
toto gratulari pectori, alacriterq; currenti calcar addere voluit
debet

JOH. Gottlieb MOLLERUS, P.P.



COROLLARIA RESPONDENTIS.

*Serpens Ignitus volans Iesaianus occasionem prabet
de serpentibus subiungendi.*

I. Etsi F. Joseph (lib. i. Antiq. jud. c. 2. ad locum, Gen. iii.) tem hominis seductorem esse, & ob hanc malitiam, quam antea habuerit, ademisse putat; Veritas tamen de serpentem verum quidem & naturalem, non tamen nisi Angelo male obsessum fuisse: indeque pena, post seductionem denunciata, non ad serpentem solum, sed partim ad serpentem partim ad obsessorem diabolum (v. 15.) est referenda.

II. Falsissime Celsus, (ap. Orig. Lib. III.) ea, quae de serpente deinceps creatione, tradit sacer codex, ex Hesiodo desumpta esse cum Moës antiquior sit: omnibus Scriptoribus Græcis, Ipsiſ c. interpolatores dogmatum Christianorum ac depravatores fū Minutius Felix, Justinus M. &c. probarunt. Puli, hra eā de re iupicē tamen non aliter tradiderunt; namq; hominem de laſtum esse, dixerunt. Res eos non fecellit, sed nomen artificiarum dæmonio tradi in Sacario-DEI continebantur, et omnibus suis comprehendevunt.

III. Nulla fere hæresis magis seducta est ab antiquo illo Ophitarum s. serpentis cultorum: qui, testē Epiphanius (hæresiū seductorem) hominibus fiscenīe omnis auto em extirpasse, eundem esse, tradiderunt.

IV. Serpentes igniti Israëlitis murmuransib; a DEO immissi non creati demum, nec aliunde adducti fuerunt; nec latitudine extinti; sed illis ipsis in locis habuerunt domiciliū quam Israëlitis hactenus; per DEI providentiam, innocuum.

V. Per serpentem æneum non præfigutatus est diabolus ipse Salvator noster, Christus. Illeq; fieri quidem posse intentus adorandas eas esse ostendit.

VI. Quotquot ex Pontificiis cum Lorino (in Sap. p. 372.) Rom. subt. Tom. VII. L. 5. c. 4. fol. 230. atqueum serpentem M. asservari, censem, in omnib; suis reliquijs nihil relictū esse v.

VII. Concubitas Serpentum cum mulieribus, ex quo progenie Alexander, &c. magnum dat diabolicae malitia specimen: incubo nullo modo est facta. Non satis igitur mirari possunt iam Cothlai, &c. qui Lutheram ab incubo generatum esse.

Ipse profectus Socius eorum Maimbourg commenta hæc

Lib. I. lect. 8. refutat.



Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 09A